



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 103. Conjurati suam societatem edito libello honestare satagentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

„convenire muneris mei ratio per-  
„suadebit.“

Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

§. CIII.

*Conjurati suam societatem edito li-  
bello honestare satagentes.*

His dictis fœderati recesserunt, om-  
nesque Urbe egressi sunt, exceptis *Strad. l. c.*  
nonnullis, qui totius rei successum ex-  
ploraturi remanserant: itaque Brede-  
rodus, Culemburgius, & Bergensis  
Comites simul abeuntes cum centum  
quingenta equitum comitatu, pri-  
mus quidem Antverpianam, reliqui vero  
duo in Geldriam secessere: cum autem  
Margarita Gubernatrix per suos explora-  
tores edoceret, quod Brederodus Ant-  
verpianos ad seditionem concitaret,  
quamvis illum sese intra modestiæ li-  
mites continere Magistratus scripsisset,  
illa tamen hac de re Regem certiore  
fecit: interea ceteri conjurati per  
omnes Provincias spargebant, quod  
eorum postulatis plene satisfactum esset,  
ut autem id eo firmiter vulgo persuade-  
rent, in eam sententiam libellum, E-  
quitum aurei Velleris nomine scriptum  
mentiuntur, ut suam apud eum  
ordinem gratiam, potentiamque po-  
pulis venditarent, & Equitum fi-  
dem Gubernatrici suspectam redderent:  
porro Libelli verba hæc fuere. *Fides  
publi-*

Sæcul. XVI. *publica fæderatis Nobilibus data Bruxel-*  
A. C. 1566. *lis ab aurei Velleris Equitibus, septimo*  
*Idus Aprilis anni millesimi quingentesimi*  
*sexagesimi sexti. Proceres, quotquot hic*  
*sumus, jurati per equestris ordinis no-*  
*men, viris a nobilium cætu delectis, ac*  
*jure, legitimeque in hanc urbem missis,*  
*pollicemur, Ecclesiasticos Quæsitores, ac*  
*reliquos Magistratus ex hoc die non car-*  
*cere, non exilio, non proscriptionibus in*  
*quemquam animadversuros, ob Religionis*  
*causam, nisi ea cum populari seditione,*  
*publicique boni jactura conjuncta sit, cu-*  
*jus tamen criminis non alii præter Fæ-*  
*deratos, Vindices sunt: id vero permis-*  
*sum eis volumus, donec aliter a Rege*  
*assentientibus totius Belgii Ordinibus, de-*  
*cernatur.*

## §. CIV.

*Gubernatricis Epistola ad Provincia-*  
*rum Rectores circa hunc conjur-*  
*ratorum libellum.*

**E**nimvero perlecto hoc libello Gubernatricis animus turbabatur, ne ergo populi impudenti horum conjuratorum commento seducerentur, nil cunctandum rata aurei Velleris Equites convocat, eisque hunc libellum ostendit, quo inspecto affirmarunt Comites Egmontius, & Mansfeldius, qui primi ad-  
 vene.